et lateris opertionē. Quinto con
tra odoratū est passus fetorē spu-
ti iudeoꝝ. Unde Math.xxvij. Il
ludebant ei dicentes. aue rex iu-
deoꝝ. et expuentes in eum. Et di
cit Bern. q̄ pter illa fetida spu-
ta omnino fuisset suffocatus nisi
virtus diuina eum pseruasset. q2
manus fuerunt sibi ligate q̄ spu
tum abstergere non poterat. nec
attrahere anhelitū. Item fetor ca
daueruz mortuoꝝ in loco calua-
rie. Sexto contra gustum. Nam
cum sitiret nostram salutē dicēs
Sitio. quod fuit secundum do-
ctores nostram salutem desidera
uit. tunc dederunt ei bibere vinū
mirratū cum felle mixtū. zc. Quo
gustato dixit. Consummatū est.
id est genus humanum est redē-
ptum. ergo. zc.

De sancto Georgio.
Sermo.xx.

Esto vir for-
tis. et pliare bella domini.
j. Reg.xviij. Notate charissimi di
cit Aug. Ecce baptisati sunt oēs.
iustificati sunt omnes. restat tam̄
lucta cum carne mundo et dya-
bolo. quare deus bene dicit ad sā
ctum georgium militem suum.
Esto vir fortis. Quāuis verbum
istud dixit Saul ad David dicēs
Ecce dabo tibi filiam meā tm̄mō
esto vir fortis. tñ de9 bñ dicit ad
sanctū.n. zc. ¶ ¶ Notandū q̄ spi
ritualis pugil z miles christi de-
bet contra quinq3 preliare in isto
mundo vt in celo coronet. Unde
dicit Apl's.ij. Thimo.ij. Non co
ronabit nisi qui legittime certa-
uerit. Unde dicit Gre. Neq3 ele-
ctis promisit deus ī hac vita gau
dia et delectationes sed amaritu
dines z tribulationes vt in finē
possint coronari. Unde pmo de
bet contra nociua pugnare que-
cūq3 illa sint. Secūdo cōtra car-
nem. Tertio cōtra mōm. Quar-
to cōtra dyabolū. Quinto cōtra
tyrānos. zc. Que qnq3 nobis pul
chre figurantur. in qnq3 lapidi-
bus quos strēnuus pugil dei da
uid recepit. sicut dicit. j. Re.xvij.
Quia ipe dixit ad Goliaz Tu ve
nis ad me cū gladio hasta et cly-
peo. ego autez venio ad te in noīe
dñi. z dabit te dñs in manu mea
z pcutiam te z auferam caput tu
um. Uñ tulit baculū pastoralem
in manu sua z elegit sibi qnq3 lim
pidissimos lapides de torrente z
processit aduersus philisteū z tu
lit vnū lapidem z funda iecit z p
cussit philisteū in fronte z cecidit
sup terram. z tulit gladiū eius et
interfecit eum. Moral'r. zc. Dico
pmo q̄ miles christi deb3 pugna
re cōtra nociua quecūq3 illa sint
Nam omnia facta sunt noxia p-
pter peccatum z ideo dic̄ Job.vij
Milicia est vita hoīs sup terraz
Uñ verus miles xp̄i sctūs Geo.
viriliter pugnauit cōtra nociua

scz draconē. Un̄ legit̄ q̄ georgius
tribunus genere capadox scz pro
uincie capadocie ꝑuenit quadaz
vice in ꝓuinciam libie in ciuitatē
que dicit̄ Silena. iuxta quā ciui/
tatez erat stagnū instar maris in
quo draco pestifer latitabat q̄ se/
pe populū cōtra se armatū in fu/
gam cōuertebat ꝛ flatu suo acce/
dens ad muros ciuitatis homi/
nes inficiebat. Quapropter com
pulsi sunt ciues q̄ sibi q̄tidie du/
as oues dabant vt eiꝰ furorez se/
darent. alioquin multi aere infe/
cto interibant. Cum aūt oues de
ficerent in ciuitate sorte hominē
cum sola oue dabant. Cum autē
sors nulli parceret quadā vice fi/
lia regꝭ vnica sorte dep̄hensa dra/
coni est adiudicata. Qō sanctꝰ ge/
orgius dum ibidez ꝑuenit ad lo/
cum ꝛ vidit puellam lachriman/
tem. interrogauit eaz quid habe/
ret. Et illa. Bone iuuenis velocit̄
equū ascende ꝛ fuge ne parit̄ me/
cum moriaris. Cui georgiꝰ. Noli
timere filia sed dic mihi q̄d hic ex/
pectas omni populo spectāte. At
illa. Bone iuuenis video q̄ tu es
magnifici cordis sz cur desideras
mecū mori. fuge velociter. Cui ge
orgius. Nō discedam donec mihi
quid habeas intimabis. Cū ergo
illa sibi totū exposuisset. Ait geor
gius. Filia noli timere. q2 in noīe
iesu christi te iuuabo Cui illa. Bo
ne miles mecuz nō pereas sed te/
metipsuz saluare festines. sufficit
eīm si sola pereā. Nam ꝛ tu mecuz
perires ꝛ me saluare non posses.

Cū ille recedere r̄cusaret ecce dra
co ad solitum pabulū de lacu exi/
uit. Tunc georgiꝰ equum ascen/
dens ꝛ signo crucꝭ se muniēs dra
conem cōtra se veniētez audacter
aggredit̄. ꝛ fortiter lanceā vibrās
et se deo cōmendans ipsum gra/
uiter vulnerauit ꝛ ad terram de/
iecit. Quē puella iussu Georgij cū
zona velut canez mansuetū in ci/
uitatem duxit. Dum aūt populꝰ
fugeret dixit sanctus Georgius.
Nolite timere sz in dominū iesuz
christum ꝯfidite ꝛ credite qui me
ad vos misit vt vos a dracone li/
berarem. Tūc rex ꝛ totꝰ populus
baptizatus est ꝛ georgiꝰ draconē
cū gladio occidit. Baptizati sunt
aūt viginti milia hominū exceptꝭ
mulieribꝫ ꝛ paruulis. Rex aūt in
honorē sancti georgij ꝛ sancte ma
rie eccl'iaz mire magnitudinis cō
struxit. De cuiꝰ altari fons viuus
emanauit cuiꝰ potus omnes lan
guidos sanauit. Tūc sanctꝰ geor
gius regē de articulis fidei instru
xit. ꝛ vt ecclesiā dei in cura habe/
ret. sacerdotes honoraret. diuinū
officium libenter audiret. ꝛ semꝑ
paupeꝝ memor esset. Et sic ab eo
recessit. Et sic patet primū quali/
ter ꝛc̄. Unde verificatuz est in eo
illud p̄s. Conculcabis leonem et
draconē. S. Secūdo dico q̄ ꝛc̄
Nam caro concupiscit aduersus
spirituz. vt dicit apl'us ad Gal'. v.
Ibidez. Ideo desideria carnis nō
ꝑficietis. Certe hoc fecit sanctus
georgius. Nam ipse abiecit mili/
tarē habitū quē caro desiderat ꝛc̄.

Unde legit̃ q eo tempe impanti/
b⁹ dyocleciano z maximiano im/
peratoribꝫ sub p̃side daciano tan
ta fuit psecutio christianoꝝ vt in
fra vnũ mensem.xvij.milia homi
num martyrio coronarent̃. vnde
inter tot tormenta genera multi
christianoꝝ ꝓpter infirmitatẽ car
nis deficiebant z ydolis sacrifica
bant.et sic sm carnem viuebant.
Qd videns beat⁹ Georgius do/
lebat maxime in corde z omnia q̃
habuit ad ꝯcupiscẽtiã carnis ab/
iecit z dispersit ac militarẽ habi/
tum reiecit. z habitum vilem quẽ
christiani portabant induit et sm
instinctũ spũssancti in medium ꝓ
siliens exclamauit dicẽs. Omnes
dij gentiuꝫ demonia. domin⁹ aũt
celos fecit. Et sic patet quomodo
nõ sm desideria carnis sꝫ sm spi/
ritum vixit. Cum opa carnis sũt
ydolorum seruit⁹ vt innuit apo/
stolus ad Gal. v. quare pugnauit
ꝯtra eam. Ũñ Richardus de san
cto victore. Qui carnem suã debel
lauerit ipse eternaliter tutus erit
Tertio dico zc. contra munduꝫ.
Nam mũdus desiderat honores
diuitias zc. Iuxta illud .j. Ioh. ij.
Omne qd est in mũdo zc. que oĩa
impediũt salutẽ anime. Ideo san
ctus georgi⁹ pugnauit ꝯtra mũ/
dum resignando oĩa. Unde legit̃
q postq̃ dixit Omnes dij gentiũ
zc. Iratus p̃ses dixit ei. Quomo/
do audes deos nostros demonia
appellare dic mihi vnd es tu aut
quo noĩe vocaris. Qui ait. Geor/
gius vocor ex nobili ꝓsapia ort⁹
capadocie. z palestinã deo fauen/
te deuici. sed oĩa deserui vt liberi⁹
deo celi possem seruire. z oĩa aduer
sa ꝓpter christũ paratus suꝫ pati.
Cum aũt p̃ses eum declinare nõ
posset iussit eum in eculeum leua
ri. z mẽbratim corp⁹ eius vngulis
laniari. appositis etiam facibꝫ ad
latera patentibꝫ viscerum rimis
plagas eius iussit sale fricari. Ea
dem nocte apparuit ei domin⁹ cũ
ingenti lumĩe z ipsuꝫ dulciter cõ/
fortauit. Cui⁹ melliflua locutiõe
et visione sic est cõfortatus vt pro
nullo duceret cruciat⁹. Et sic pa/
tet quomõ contra mũdũ pugna/
uit. ipsum et oĩa que in eo sunt de
serendo. ac ꝓ christo libent̃ aduer
sa mũdi sustinẽdo. Ũñ potest di/
cere illud ad Phil. iij. Omnia ar/
bitror vt stercora vt christũ lucri/
faciam zc. Quarto dico cõtra ty/
rannos eorũ falsis ꝑsuasionibus
nõ consentiẽdo. Iuxta illud ps.
Omnẽ viam iniquã odio habui.
Uel illud. Iniquos odio habui.
Qd fecit georgius. V. Unde
legit̃ ꝯsequẽter q cum Dacianus
vidit q eũ penis superare nõ po/
tuit. rogauit quendã magũ vt eũ
arte sua superaret. z dixit. Christia/
ni eñ suis magicis artibꝫ tormẽ/
ta ludificant z deorũ nostrorũ sa/
crificia puipendunt. Cui magus
Si artes eorũ superare nequiue/
ro. snĩe capit̃ reus ero. Et sic ma
leficijs suis iniectis z deoꝝ suoꝝ
nominibꝫ inuocat̃ venenũ vino
imiscuit z sanct⁹ georgi⁹ ad potã/
dum dedit ꝯtra qd georgi⁹ signũ

crucis edidit ⁊ hausto eo nil lesio
nis sensit. Rursus magus fortiꝰ
priori venenũ imiscuit. ⁊ vir dei si
gno crucis edito sine lesione totũ
bibit. Quo magus viso ad pedes
eius cecidit ⁊ veniã lachrymabilr
petijt ⁊ se christianũ fieri postula/
uit. quẽ mox iudex decollari fecit
Sequẽti die iussit georgiꝰ in rota
poni. gladijs bis acutꝭ vndiqꝫ cir
cumsepta ⁊ statim rota fracta est.
⁊ georgiꝰ illesus penitus inuenit.
Tũc iratus dacianus iussit eũ in
sartaginem. i. (rostphan) plenam
plumbo liquefacto ꝓijci. Qui fa/
cto signo crucis intrauit in eaꝫ et
virtute dei cepit in ea quasi in bal
neo refoueri. Qd videns dacianꝰ
se esse supatum dixit. Et sic patet
quomodo tyrannũ superauit. dũ
sic fideliter se in fide tenuit. Unde
ipse est de numero illorũ de quibꝫ
dicit ad Heb. xj. Fortes facti sunt
in bello ⁊c. Quinto dico ꝙ cõtra
dyabolum. Nam dicit petrus. j.
Pe. v. Aduersarius vester diabo/
lus. cui resistite fortes in fide. Qd
fecit sanctꝰ georgius cũ ydola di/
minuit virtute christi. Uñ legitur
cõsequenter ꝙ videns dacianus
ꝙ eum supare tormentis nõ po/
tuit. cogitauit eum emolire blan/
dicijs. Unde dixit ei. Uides cha/
rissime. Georgi quante mãsuetu/
dinis sunt dij nostri qui te blas/
phemuꝫ tam patienter sustinent.
parati nihilominꝰ si conuerti vo
luerꝭ indulgere. Age ergo dilecte
fili qd hortor vt supsticione reli/
cta dijs nostris sacrifices et ma/
gnos honores ab ipsis ⁊ a nobis
cõsequeris. Cui ait georgiꝰ. Qua
re mihi in ꝑncipio nõ magis per
suasisti blãdis ſmonibꝫ ꝙ̃ tormẽ/
tis. Ecce paratus sum qd hortarꝭ
Hac ꝓmissione dacianus de
lusus letus efficit. et iussit sub vo
ce ꝑconis vt omnes cõuenirent.
et georgiũ tamdiu luctantẽ sacri/
ficare viderũt. Ornata igit tota ci
uitate ꝑ gaudio. cum georgiꝰ tem
plum ydolorũ sacrificaturꝰ intra
ret. ⁊ omnes ibi gaudẽtes astarẽt
genuflexionibꝫ dominũ orauit vt
templum cum ydolis sic oĩno de
strueret quatinꝰ in laudem sui et
cõuersionẽ populi nihil de eo pe/
nitꝰ remaneret. Statimqꝫ ignis
de celo dscẽdit tẽplũ cũ ydol dijs
⁊ sacerdotibꝫ ꝯcremauit. ⁊ tra eos
deglutiuit. Hic audiẽs dacianꝰ
georgiũ ad se duci ꝑcepit et dixit.
Quot sunt maleficia tua pessime
hoĩm q tm̃ facinus cõmisisti. Cui
geor. Ne credas sic esse sꝫ mecum
ꝑge ⁊ iterum me sacrificare vide.
Cui ille. Intelligo fraudẽ tuaꝫ. qꝛ
vis me facere absorberi sic tẽpluꝫ
⁊ deos nr̃os absorberi fecisti. Cui
georgiꝰ. Dic mihi miser. Dij tui q
se iuuare nõ pñt quõ te iuuabunt
Iratꝰ nimis dacianꝰ dixit alexã/
drie vxori sue. Deficiẽs moriar qꝛ
ab h hoĩe supatũ me cerno. Cui il
la. Tyrãne crudel nunqd nõ dixi
tibi sepiꝰ ne xp̃ianis molestꝰ esses
qꝛ deus eorum pugnat pro eis. et
nũc scias me velle fieri christianã.
Stupefactꝰ imperator ait. Heu
nunquid ⁊ tu seducta es. Et fecis

eam p capillos suspendi. z flagel-
lis durissime cedi. Que dum ce-
deret dixit georgio. Georgi lumẽ
veritatis. quo putas peruenia nõ-
dum baptizata. Cui georgi⁹. Ni-
hil hesites filia. qꝛ effusio sangui-
nis tui baptismus tibi reputabit
z corona. Tũc illa orans ad do-
minũ emisit spiritũ. Sequẽti vo
die georgius talez sententiã acce-
pit vt p totam ciuitatẽ traheret z
postmodũ capite truncaret. Ora
uit autẽ ad dominũ vt quicunqz
auxilium eius peteret. petitionis
sue consequat effectũ. diuina aũt
vox ad eum puenit dicẽs q sic fie
ret vt orauit. Completa autẽ ora
tione capit abscisione martyriuz
cõsumauit. Dacianus aũt cuz de
loco in quo decollatus est geor-
gius ad palatiũ rediret. ignis de
celo cecidit. z eum cum ministris
suis cõsumpsit. Et sic patet quo-
modo cõtra diabolũ pugnauit et
vicit zc. Quare meruit eternã glo
riam. Uñ bene dicit de eo Roꝝ.
iiij. Confortat⁹ est in fide. qua for
titer se tenuit z omnes inimicos
vicit. Unde Ambrosi⁹. Bellũ vi-
riliter aggressum parit victoriaz.
Uñ bene dicit Georgi⁹ quod in-
terptat sacer luctator. nam dicit
a geor. id est sacrũ. z gion. id ẽ lu-
ctatio. quasi sacer luctator. Unde
Ambro. de eo in pfatione. Geor-
gius fidelissim⁹ christi miles in-
trepidus filium dei est confessus
Uñ z innumerabilia nõ formida
bat tormẽta. O felix domini plia
tor quem nõ solum nõ persuasit
blanda repromissio tempalis re-
gni. verũetiaz psecutore deluso si-
mulacra in abyssuz deiecit zc. Uñ
bene pliauit bella domini. quare
dicit cõuenienter de eo. Isto vir for
tis zc. Cum quodã tempe christi-
ani ad obsidendã hierusalẽ perge
rent. quidã iuuenis speciosus cui
dam sacerdoti apparuit dicẽs ei
sanctũ georgiũ esse ducez christia-
norũ. Et monuit vt reliquias ei⁹
secum in hierusalẽ deportarẽt. et
ipse cum eis esset. Quo facto bea-
tus georgi⁹ armis albis indut⁹ z
cruce rubea insignitus apparuit
eis innuẽs vt post secure accede-
rent z ciuitatẽ obtinerẽt. quo fa-
cto saracenos occiderũt.

De sancto Marco.
Sermo. xxj.

Leo fortissi
mus bestiaꝝ ad nulli⁹
pauebit occursum. Pro
uerb. xxx. Notate charissimi. dicit
enĩ Aristo. in li. de naturis aĩaliũ.
q ossa leonis sũt duriora alijs ossi
bus. ꝓpterea qñ vnum os collidi
tur alteri. i. ad inuicẽ pcussio emi
cat ignem. Hinc est q leo ex ma-
xima firmitate ossiũ se sentiẽs for
tissimũ. efficit ita audax q ad nul
lius occursum pauet. Ideo dicit
Leo fortissim⁹ zc. ¶ K. Est notã-
dum q p leonem intelligit in sa-
cra scriptura scũs marcus. Nam
legit Ezech. j. q ipse ezechiel vidit
in spũ quattuor aĩalia. quoꝝ simili-
tudo vult⁹ eoꝝ fuit facies hoĩs fa
cies leõis. facies bouis. facies aqle

Per illa q̄ttuor aīalia intelligūt q̄ttuor euāgeliste. Nā p faciē hominis. Req̄. in ser. Johis euāge. in lr̄a L. Vn̄ Apo. iiij. Aial p̄mū ſile leoni. ſcd̄m ſile vitulo. tertiū hn̄s faciē hoīs. quartū ſile aquile volanti die noctuq̄ʒ dicētia. ſcūs ſcūs ſcūs dn̄s deus oīpotēs. qui erat ⁊ q̄ eſt. ⁊ q̄ venturꝰ eſt. Unde Grego. ſup Ezech. Quattuor facies ſunt vni. q2 ſi req̄ras q̄d matheus de incarnatiōe dn̄i ſentiat h̄ ſentit q̄d lucas marcus ⁊ iohēs Si q̄d marcꝰ ⁊c̄. Euāgeliſtarꝝ q̄ſ facies ad hūanitatē dn̄i ptinet. q2 oīpotentē dei filiū dn̄m nr̄m ieſū xp̄m oēs cōcorditer p̄dicant. Vn̄ notandū q̄ ſctūs marcꝰ compat̄ leoni ꝓpt̄ q̄nq̄ʒ nobiles ꝯditiones eiꝰ quas ſcūs marcus ſpūalr̄ ī ſe habuit. Prima cōditio leonis eſt prudētia. Nā dicit Ariſ. in li. vt s̄. q̄ leo ꝓcul vidit venatores et cognoſcit eos. nam veſtigia ſua cū cauda prudent̄ delet et tegit ne a venatoribꝫ capiat̄. iō d̄r prudēs. i. ꝓcul vidēs vel ꝓuidus. Sic ſcūs marcus fuit prudens. i. ꝓcul vidēs cū celeſtia vidit ⁊ cognouit. ⁊ a ſancto petro mḡro ſuo audiuit ⁊ didicit. Jō rogatꝰ ſcp̄ſit euāgelicam doctrinā. ſicut legit̄ ī vita ſua. Legit̄ em̄ marcꝰ euāgeliſta electꝰ dei ⁊ petri apl̄i in baptiſmate filius atq̄ʒ in ſmone dei diſcipulꝰ. ſacerdotiū agens in iſrl̄ ſm carnē leuita q̄ erat magnū genꝰ cōuerſus ad fidē xp̄i oſtendēs in eo q̄d generi ſuo deberet ⁊ xp̄o. ſ. ſeruire deo. q2 leuita h̄ cum ſcō petro aplo romā ꝓfectus eſt. Cum euāgeliū ibidē p̄dicaret fideles q̄ erāt rome rogauerūt btm̄ marcū vt ad ꝑpetuā mēoriā fideliū ſcriberet euāgeliū q̄ ille vt ex ore magiſtri ſui ſcti petri audierat. fideli ſtilo ꝯſcripſit. Petrꝰ aūt illud diligent̄ examinās vbi omni veritate plenū cōſpexit approbauit. Et vt dicit Clemēs in. vj. li. informationū eccl̄ie oībꝫ fidelibꝫ legendū ſua auctoritate dedit. Videns āt ſcūs pe. marcū ꝯſtantē in fide ipſū aquilegiā ciuitatē deſtinauit. vbi ipſe ita ſapient̄ ⁊ fidelit̄ v̄buꝫ dei p̄dicauit. ⁊ gentes docuit q̄ innumerabilē multitudinē gentiū ad fidem xp̄i ꝯuertit. ac euāgeliū ſuū ibidem ſil̄r cōſcripſit. q̄ q̄deʒ hodie in aq̄legia ciuitate oſtēdit̄. et magna deuotōe reſeruat̄. Tādem btūs marcꝰ quēdā aq̄legienſem ciuem noīe Armogorā quem ad fidē ꝯuertit romā ad ſcm̄ petꝝ duxit. vt eū in ep̄m aquilegie ꝯſecraret. Suſcepto itaq̄ʒ Armogoras pontificatꝰ officio cū aquilegienſem eccl̄iā optīe gubernaſſet Deīde ab hoībꝫ capit̄ ⁊ ibidē martyrio coronat̄. Et ſic pʒ quō ſcūs marcꝰ fuit prudēs. cū ſic prudent̄ docuit ⁊ euangeliū ꝯſcripſit. quare magnū ppl̄m ad xp̄m ꝯuertit. Vn̄ pōt dicere illud p̄s. Docebo iniq̄s. i. gētiles q̄ ydola adorabāt et creatorē celi ⁊ terre negabant. vias tuas. i. veritatē ſacre ſcp̄ture. ⁊ iō impij ad te ꝯuertent̄. Quare bn̄ d̄r marcꝰ. Nā marcꝰ interp̄tat̄ certꝰ in doctrina q2 doctrinā

euãgelij sui tradidit certã sicut a
mgr̃o suo petro didicit. Vñ pote/
ram dicere illud Johel. ij. exultate
ꝛ letamĩ in dño deo vr̃o q̃ dedit ꝛc̃.
¶ Secũda ꝯditio leonis ẽ recti/
tudo ĩ incessu. Nã dicit Aris. vt s̃.
ꝙ leo sp̱ anteponit pedẽ dexterũ.
qꝛ dignioꝛ ẽ sinistro. In pede em̃
dextero intelligunt̃ celestia ꝛ v̈tu
tes. in sinistro frena ꝛ vitia. Tũc
em̃ q̇s rectũ oꝛdinẽ s̃uat cũ digni
oꝛẽ rem minꝰ digne p̃ponit. Igit̃
ꝙ leo pedẽ dextrũ p̃ponit sinistro
bñ ꝯuenit btõ Marco. qꝛ celestia
et v̈tutes frenis p̃posuit. Qualit̃
em̃ h̃ fecerit ptʒ multipl'r. quoꝛuʒ
tm̃ vnũ dico. Legit̃ em̃ ꝙ post p̃/
dicta scũs marcus a scõ petro ad
alexandriã missus ẽ. et ibi p̈mus
v̈bũ dei p̃dicauit. Et sic p̃dicauit
ita fecit. Exẽplo xp̃i q̇ vt dr̃ Act. j.
cepit facere ꝛ docere. Sic b. mar/
cus vixit in oĩbꝫ v̈tutibꝫ ꝛ sanctã
vitã duxit. ꝛ sic sub bono exemplo
multos ad fidẽ ꝛ ad sanctã vitã in
uitabat. Vñ in p̈mo introitu suo
in alexandria maxia ml't'itudo in
deuotiõe ꝛ ꝯtinẽtia ꝛ vita sancta
adunata ẽ. Vñ papias Jeropoli/
tanꝰ ep̃us dicit ꝙ Marcꝰ tãte do
ctrine ꝛ vite ꝯtinẽtie fuit vt oẽs se
ctatoꝛes xp̃i ad exẽplũ sui cogeret
Petrꝰ aũt damiani de eo sic dicit
Tantã gr̃aʒ deꝰ scõ marco p̃roga
uit vt q̊s alexãdrie ad fidẽ ꝯuertit
mox p̱ ꝯtinentiã ac scãm ꝯuersa/
tionẽ tanq̃ʒ ad fastigiũ monastice
p̱fectõis p̱uolarẽt atqꝫ eos nõ mi
racul' et p̃dicatõe. sʒ eximijs exem
plis p̱uocabat. Papias ep̃s etiã

ip̃m mire laudat di. Tãte etiã hu
militat; fuit vt pollicẽ sibi ampu/
tauerit ne ad oꝛdinem sacerdotij
posset hũano iudicio p̱moueri ve
runtñ dei dispositio ꝛ sci petri au
ctoꝛitas p̃ualuit q̇ euʒ ĩ alexãdria
ep̃m oꝛdiauit. Vñ bñ dr̃ de eo illd
ps. Dilexisti iusticiã ꝓpterea ꝛc̃. s.
in ep̃m. Quare iterum bñ cõpetit
sibi nomẽ marcꝰ qd̓ interp̃tat̃ sub
limis mãdato. Ipse em̃ fuit subli
mis mãdato rõne p̱fectõis ĩ vita
qꝛ nõ solũ s̃uauit mãdata cõia sʒ
etiã sublimia. Vñ põt dicere illd
ps. Ad oĩa mãdata tua dirigebar
oẽm viã ꝛc̃. M. Tertia cõditio
leonis ẽ medicina. qꝛ vt dic̃ Aris.
vt sup̃ medicinalia ossa hʒ. Sic
scũs marcꝰ bñ ꝯp̱at̃ leoni. qꝛ ꝛ ip/
se fuit medicinal'. cũ op̱a sua fue/
rũt sanatiua. Vñ legit̃ ꝯñter mox
aũt vt alexãdriã ẽ ingressus subi/
to calciamentũ eiꝰ ẽ ruptũ atqꝫ so
lutũ. Vidẽs aũt marcꝰ quẽdã su/
toꝛẽ vetera ꝯsuentẽ. eidẽ tradidit
calciamẽtũ ad refoꝛmãdũ. qd̓ cuʒ
ille faceret sinistrã manuʒ grauit̃
vulnerauit ꝛ clamare cepit. vnus
deꝰ. Quo audito marcꝰ lutũ fecit
ex sputo ꝛ manũ eius vnxit. ꝛ ꝯti/
nuo sanitatẽ recepit. Vidẽs hõ il
le tãtã eiꝰ efficatiã introduxit illũ
in domũ suã ꝛ q̇s eẽt ꝛ vñ veniret
p̱cunctari cepit. Et ille seruũ dñi
nr̃i iesu xp̃i confessus. Cui ille ait.
Vellẽ ego videre eũ. Et marcus.
Ego eũ tibi ostẽdã. Incipiẽs mar
cus xp̃ʒ sibi euãgelizare ꝛ ip̃m cũ
tota domo sua baptizauit. Audiẽ
tes aũt viri ciuitat; illiꝰ aduenisse

quēdā galileū q̄ deoꝝ sacrificia cō
temneret ei insidias posuerīt. Quod
marc⁹ cognoscens hoīez illū quē cu
rauerat q̄ dicebaẗ Anian⁹ dei au
ctoritate ibidez epm ordinauit. et
ipse pentapolim ꝑexit. ⁊ ibidē p̄di
cauit. Et sic ptz quō fuit medicial'
cū sic sanauit defectus. Un̄ dixit
xp̄s Jo. xiiij. Qui credit ī me opa
q̄ ego facio ⁊ ip̄e faciet. Un̄ sic xp̄s
fecit lutū ex sputo ⁊ sanauit cecuz
a natiuitate. vt dz Jo. ix. ita ⁊ scūs
marc⁹ ꝓpt' fidē quā habuit. Quod co
gnoscēs dauid in spū dicit. Me/
dici suscitabūt. i. sanabūt. ⁊ ꝯfi. ti/
bi. i. credēt ī te. ¶ Quarta cōdi
tio leonis ē audacia. Dicit ei Aris.
ī li. vtē. ꝙ aīal hn̄s mediocre cor
est magnanimū ⁊ audax. ⁊ aīal ha
bens magnū cor ē timidū. vt ptz
in asino ⁊ lepore. q̄ magna corda
hn̄t. iō sunt timida. Cui⁹ rō est qz
calor cordis in eis ē modic⁹ et nō
p̄t iplere magnū cor. sic ignis mo
dic⁹ paꝝ calescit ī magna domo.
in ꝗua ꝟo multū. Sic calor natu
ralis in magno dilataẗ. et ꝑ ꝯn̄s
aīal min⁹ audax efficiẗ. sed in leo/
ne q̄ hz cor paruū. in q̊ ca lor natu
ralis multū feruet ē ml'tū audax
⁊ absqz terrore. iō ad nulli⁹ paue/
bit occursuz ⁊c̄. Sic scūs marcus
habuit ꝑuū cor. i. hūile. et iō ml'tū
habuit d̄ calore spūssancti. quare
fuit multū audax. Un̄ legiẗ conse
quēẗ ꝙ cū pentapolim duob⁊ an
nis stetisset eo ꝙ ppl's ciuitatꝫ ale
xandrie ei insidias posuerit. Ipse
cū mag̃ audacia iteꝝ alexādriam
rediјt ⁊ fideles ibi ml'tiplicatos ī/
uenit. Pōtifices āt ydoloꝝ ⁊ tem
ploꝝ conabāẗ eū ꝯp̄hēdere. Ut āẗ
in solēnitate pascali. s. ī die pasce
ipse missaz cebraret ꝯueneīt illuc
oēs ⁊ funē collo ei⁹ misso ip̄m ꝑ ci
uitatē trahebāt ad loca bucculi. i.
culture q̄ erāt sub rupib⁊ vbi erat
eccl'ia ꝯstructa dicētes. Traham⁹
bubalū. vel vt al's hēẗ bucculuz. i.
cultorē ad loca bucculi. Carnes
ꝟo ei⁹ in ẗrā fluebāt ⁊ lapides ri/
gabāẗ sanguīe ei⁹. qd̄ sustinuit cū
mag̃ audacia. Et sic ptz ei⁹ auda/
cia. Un̄ pōt dicere illō Phil'. iiij.
Oia possū ī eo q̄ me ꝯfortat. ⁊ illō
p̄s. Nā ⁊ si ambulauero in me. ⁊c̄.
¶ Quita ꝯditio leonis ē ꝙ ē for/
tissim⁹. iō dic̄. Leo fortissim⁹ bes.
Dicit em̄ Aris. vtē. ꝙ leo ē fortissi/
m⁹ ī pecore. sic marc⁹ fuit fortissi/
m⁹ in pecore ꝑ qd̄ intelligiẗ cordis
dilectio quā hn̄it ad deū ꝙ patiēẗ
sustinuit mortē ꝓ eo. Juxta illud
Can. viij. Fortis ē vt m. di. Qualr̄
aūt ꝓpt' xp̄m ī vera dilectōe pass⁹
est ondiẗ. legiẗ em̄ ꝙ postq̄z eū tra
hebāt vespe facto miseīt eū in car
cerē. in q̊ circa mediaz noctē p̄mo
āgelica visiōe ꝯfortat⁹ ē. deīde ip̄e
dn̄s ies⁹ xp̄s appꝛuit sibi di. Pax
tibi marce euan. me⁹. noli timere
qz ego tecū suz vt eruā te. ⁊ ad cele
stia reg̃ te voco. Mane g̊ facto fu
nē iteꝝ ī collo ei⁹ mittūt ⁊ huc atz
illuc eū ꝑtrahūt exclamātes. Tra
hite bubalū ad loca bucculi q̄ erāt
sub rupib⁊. i. saxis. Ille aūt dum
traheretẗ fortissime ⁊ patiēter susti
nuit ⁊ grās egit deo di. In man⁹
tuas dn̄e ⁊c̄. Et hec dicēs spm̄ ex/
alauit. Un̄ bn̄ verificat d̄ eo illō
Ro. viij. Cert⁹ sū qz neqz mors ⁊c̄

Jō bene dicit marcus. q̄ interpre
tatur amarꝰ rōne acerbitatꝫ pene
cū sic vbiqꝫ ꝑ ciuitatē tractus fue
rat. et inter hec tormēta spm̄ tra/
didit. Passus est. viij. āno nerōis
q̄ cepit circa annū dn̄i. lvij. Cū āt
pagani vellent eū ꝯburere subito
aer turbat̄. grando orit̄. tonitrua
intonāt. fulguraqꝫ coruscāt ita vt
omnes pagani fugerūt ⁊ scm̄ cor
pus ibidem intactum reliq̄runt
Xp̄iani vo eius corpꝰ rapuerunt
⁊ in eccl'ia cū omni reuerētia sepe
lierunt. Anno aūt dn̄i. cccclxviij.
scm̄ corpus eius de alexandria ī
venetias trāslatum est. vbi eccl'ia
in honore scti marci mire pulcri
tudinis fabricata est. Refert pe.
damiani ꝙ corpꝰ mortē ad italiā
demū sit reuersus. vt terraꝫ in q̄
datū est sibi euāgeliū scribere sa/
cras reliquias eiꝰ meren̄t possi/
dere. Vn̄ dic̄ Btā es o alexādria
triūphale sanguine huiꝰ purpu/
rata Felix ⁊ tu italia thesauro hꝰ
corpis diues effecta. ¶ P ¶ Circa
ānos aūt dn̄i. mcclj. apud papiā
quidā deuotus frater noīe iulia/
nus ordinis p̄dicatoꝝ infirmita
te mortꝫ laborās qui dum dormi
ret in lecto vidit. s. mar. ad se ve/
nisse ⁊ se iuxta lectū eiꝰ collocasse
⁊ ecce vox facta est ad eū dicēs. O
marce q̄d agis h̄. At ille Ad mori
entē illū accessi qꝛ deo acceptꝰ est
At iteꝝ vox ad euꝫ. q̄re inter cete/
ros scōs marie tu ad eū venisti. ⁊
ille. qꝛ specialē deuotioneꝫ ad me
habuit. ⁊ locū vbi corpꝰ meū qui/
escit sedula deuotōe visitauit ⁊ iō
veni eū in hora exitus sui visitare
Nūc quidā abbati totā domū im
pleuerūt. quibꝫ ait marcꝰ q̄re huc
venistis. At illi. vt istiꝰ aīam in cō
spectu dn̄i p̄sentemꝰ. Euigilās āt
p̄dictꝰ frater misit ꝓ priore domꝰ
⁊ oīa que viderat recitās cuꝫ mul
tum gaudio in dn̄o felicit̄ obdor/
miuit. ⁊c̄. ¶ De rogationibꝫ.

Sermo. xxij.

Sancte deus sancte fortis. sancte ⁊ im/
mortalis miserere nobis canit ec
clesia. Notate charissimi. dic̄ em̄
Aug. de doctrina xp̄iana. ꝙ nul/
lus pōt saluari nisi fuerit iustifi/
catus. iustificari nō pōt sine me/
ritꝫ. merita habere nō potest sine
gratia. gratiā h̄re non potest ni/
si impetret ⁊ petat. Et hoc sciens
sctā mater eccl'ia iō ex diuina reue
latiōe ordinauit illos p̄ces quibꝫ
fideles debēt gratiaꝫ dei impetra
re. quare dic̄ eccl'ia. sācte deus. ⁊c̄
Dicit mgr̄ li. ij. dis. iiij. ꝙ ex pctō
miseria ē. s. fieri tēpestates siue dis
cordias siue sterilitates terre et
hmōi. ⁊c̄. vt patet in sacra scp̄tu/
ra qualiter oīa talia acciderāt ꝓ/
pter pcm̄. ⁊c̄. Jō ordinauit eccl'ia ⁊
sancti vt fierēt letanie. i. rogatio/
nes quibꝫ imploremus deū ⁊ oēs
scōs vt liberēt nos ab om̄i malo
Dicit em̄ Joh̄ damas. ꝙ cū apud
cōstantinopolim ꝓpter q̄ndā tri/
bulatiōeꝫ letanie fierēt. quidā pu
er de medio ppl'i in celū raptꝰ est
⁊ illud cāticū. s. sācte deus. ⁊c̄. cō
ppl'o decātauit ⁊ mox oīs tribula

tio cessauit in signũ. ⁊c. ¶ Sed
est notãdũ q in letanijs tria fiũt
Primũ est ꝓcessio. scd̃m est cruc
⁊ vexilloꝝ portatio ⁊ campanoꝝ
pulsatio. tertiũ dei ac oĩm sc̃oꝝ i/
ploratio q̃ notat p interp̃tatioẽs
illius t̃mini letania. Naꝫ letania
tripl'r vocat. p̃mo ꝓcessio septifor
mis. sc̃d̃o dr̃ cruces nigre. tertio
rogatio. Un̄ p̃mo fit ꝓcessio que
ordinata est ab eccl'a ꝓpter exẽplũ
sc̃i gregorij q̃ in roma ꝓcessioẽs fe
cit ꝓpter magnũ morbũ q̃ inuasit
hoĩes ꝓpter pc̃m. Romani enĩ vt
legit cũ in q̃dragesima ꝯtinẽt vi/
xissent. ⁊ in pasca corp⁹ dñi rece/
pissent. postmodũ cõmessatioib⁹
ludis ⁊ luxurie frena laxabãt. Jõ
q dñs ꝓuocat⁹ pestẽ maximã in
eos misit q̃ tã seua fuit vt hoĩes ĩ
via. mẽsa. ludis ⁊ colloq̃js subi/
to morerent. ita q cũ aliq̃s ster/
nutabat. sepe cũ ip̃a sternutati/
one sp̃m exalabat. Un̄ cũ aliquis
aliquẽ sternutare audiuit statim
accurrẽs dixit. deus te adiuuet.
Et inde adhuc hec ꝯsuetudo ser/
uat vt cũ aliquẽ sternutare audi/
mus dicim⁹ deus te adiuuet. Et
cũ aliq̃s oscitabat freq̃ẽter subi/
to emisit sp̃m. Un̄ cũ aliq̃s se vel
le oscitare sẽtiebat ꝯtinuo signũ
crucis sibi ĩprimere ex ordinatiõe
festinauit. Et hec cõsuetudo sil'r
vsq3 mõ fuat. Qual'r aũt hec pe/
stis ortũ habuit. req̃re in vita sc̃i
Gre. Hec aũt ꝓcessio dr̃ septifor/
mis. Jõ q sc̃s gre. ꝓcessioẽs q̃s
fecit p tũc p septẽ ordĩes dispone
bat. Naꝫ in p̃mo ordine erat oĩs

cler⁹. Et in sc̃d̃o oẽs monachi et
religiosi. Jn tertio sancte monia
les. Jn quarto omnes infantes
Jn q̃nto laici. Jn sexto vidue. Jn
septimo ꝯiugate. Sꝫ q̃d mõ non
possum⁹ in numero p̃sonaꝝ sup/
plem⁹ in nũero letaniaꝝ. ¶ R
Hec ãt letania seu ꝓcessio dr̃ ma/
ior. q2 a magno gregorio papa in
vrbe roma instituta ẽ. ⁊ omni an
no ab eccl'ia seruat in festo sancti
Marci ꝯ pestilentiã. Alia est leta
nia minor q̃ fit trib⁹ dieb⁹ añ ascẽ
sionẽ quã btũs Mamert⁹ ep̃us
viennens añ institutionẽ p̃me in
stituit tp̃e Leonis impatoris. sc3
Anno dñi. cccc. lviij. que dr̃ leta/
nia minor. q2 a mĩori est instituta
Cui⁹ cã est. Naꝫ apud viennẽsem
terrã freq̃ẽtes ⁊ maximi tremo/
tus fiebãt q̃ domos ⁊ eccl'ias plu/
mas subuertebãt. Un̄ ⁊ in die pa/
sce etiã accidit q ignis de celo ce/
cidit ⁊ palatium reg' ꝯcremauit.
Aliud etiã mirabili⁹ accidit. Naꝫ
pmissione dei ꝓpt pctã hoĩm de/
mones lupos. ⁊ alias feras intra
uerũt ⁊ nullos timẽtes nõ soluꝫ
p vias sed p ciuitates publice de/
currebãt. ⁊ passim pueros ⁊ senes
viros ⁊ feĩas deuorabãt. Cũ igit
tam dolorosi casus q̃tidie fierẽt.
p̃dict⁹ ep̃s triduanũ ieiuniũ indi
xit. letanias instituit. ⁊ sic p̃dicta
tribulatio cõquieuit. Deinde sta/
tutũ ẽ ab eccia vt hec letania vni/
uersal'r obs̃uaret. Et q̃ñq3 aliqua
tribulatio accidit q tũc fiat ꝓces/
sio in q̃ de⁹ placet. Sic nos dẽm⁹
facere ꝓcessiones ⁊c. Un̄ h̃ cogno

scens p̄s.in spūsctō dicit. Venite
adorem⁹ ꝛ ꝓcidam⁹ an̄ deū.plore
mus coraꝫ dn̄o.s. in ꝓcessione.qꝛ
ipse ē dn̄s de⁹ nr̄ ꝛc̄. Hic potest no
tare ordinē ꝓcessionis ſm ordinē
sci Gre.vt pꝫ applicādo spūalr̄ ꝛc̄.
S Scd̄o fit cruc꜡ ꝛ vexilli porta
tio.iō letania secūdo dr̄ cruces ni.
nā in signū meroris tāte strag꜡ al
taria ꝛ cruces velabāt sacc꜡. In le
tania sci Gre.nigr꜡ vestibꜭ indue/
bant̄ in signū pnīe. Vn̄ notandū
ꝙ in hac ꝓcessione dn̄t qnqꝫ fieri.
Prīo pulsant̄ cāpane vt demōes
in aere caligīoso morātes q̇ sepi⁹
tēpestates ꝯcitāt territi fugiant.
Nā sicut rex in suo exercitu hꝫ in/
signia regalia.s.tubas.sic xp̄us in
sua eccl'ia militāte hꝫ cāpanas ꝓ
tubis. Vn̄ sicut aliq̇s tyrān⁹ val/
de timet qn̄ alicui⁹ potent꜡ regis
sui inimici tubas ī sua terra audi
ret. sic demōes q̇ in isto aere cali/
ginoso morant̄. Naꝫ in eū detrusi
sūt. vt dic̄ mgr̄ vehement̄ metuūt
qn̄ tubas xp̄i.s.cāpanas sentiunt
pulsari. Et ista est special'r vna rō
q̄re eccl'ia cōsueuit pulsare cāpa/
nas qn̄ tēpestatē ꝯcitari videt. vt
scꝫ demōes q̇ h̄ faciūt. tubas etn̄i
reg꜡ audiāt ꝛ sic territi fugiāt. et a
tēpestat꜡ ꝯcitatiōe ꝯq̇escant. Alia
etiā rō ē vt cāpane fideles admo/
neāt vt ꝓ instāti ꝑiculo orōni insi
stāt. Scd̄o crux defert̄.qꝛ ē signuꝫ
sūmi regis.qđ demones valde ti/
mēt. Vn̄ dic̄ Chrys̄. Signū dn̄icū
vbicūqꝫ demones viderint fugiūt
timētes baculū q̊ plagā recepert̄.
Et exēplū hui⁹ Req. inuētiōis cru
cis H. Vn̄ hec ē rō q̄re in q̇busdā
eccl'ijs crux de eccl'ia trahit̄ tpe tē
pestat꜡ ꝛ opponit̄ tēpestati.vt.s.d
mones videāt signū eterni reg꜡.et
territi fugiāt. Quare figurat̄ nob
in baculo ipsi⁹ dauid cum q̊ vicit
inimicū. Req. Georgij. Vn̄ dicit
Origenes. Null⁹ demonū ꝓpesta
re poterit vbi signū cruc꜡ fuerit ti
mens gladiū in q̊ deiect⁹ est. Vn̄
dicit Cassi.in li.collationū sctōꝝ
patꝝ. Cruce em̄ xp̄i fidel'r insigni
tus stabo impterrit⁹ ꝯ oēs impe/
tus ꝛ insult⁹ demonū. Tertio ve
xilla portant̄ ꝓpt̄ repn̄tandā vi/
ctoriā resurrectōis. Vn̄ sic̄ xp̄s po
tent̄ resurrexit a morte ꝛ ab omni
miseria.ita ꝛ nos resurgamus ab
oī miseria ꝛ pctō.ꝓpter qđ nob oc
currerūt oīa mala.ꝛ sic etiā vinca
mus potent̄ eū.s.diabolū q̇ nō est
ita fortis ꝯ nos sicut fuit. Vnđ in
aliq̇bꜭ ecclesijs ꝛ maxie gallicanis
ꝯsuetudo habet̄ ꝙ q̇dā draco cuꝫ
longa cauda inflata plena palea
vl'aliq̇ hmōi in letanijs minoribꜭ
que fiūt tribꜭ diebꜭ an̄ ascensionē
dn̄i.duobꜭ p̄mis diebꜭ an̄ crucem
portat̄. ꝛ tertia die cum cauda va
cua post crucē defert̄. Per qđ si/
gnificat̄ ꝙ in p̄ma die an̄ legē.ꝛ in
secūda sub lege diabol⁹ in h̄ mun
do regnauit. In tertia aūt die scꝫ
tpe grē ꝑ passionem xp̄i de suo re
gno expulsus ē. Quarto candele
portant̄ qđ significat ꝙ nos in ꝓ/
cessione iesuꝫ xp̄m in cordibꜭ nr̄is
deuote portare debem⁹. Nā ꝑ ce/
reum accensuꝫ ſcat̄ iesus. Req.in
ser.purificatōis circa finē. Quito

reliquie baiulāt vt oīa nociua ex-
pellant̄ ⁊ extinguant̄ q̄cunq̄ꝫ sint
⁊ salutaria et ꝓspera eueniāt. Un̄
in signū hui⁹ legit̄ in vita sc̄i Gre.
Req. in ser. ibidem. ¶ Un̄ figu
rat̄ nob̄ ꝯuenient̄ in ꝓcessiōe quā
fecit rex Dauid portādo archam
dn̄i cū iubilo in ciuitatē dauid. ij.
Re. vj. Dicit̄ em̄ ꝙ dd̄ ꝯgregauit
oēs electos isrl̄ vt adducerent ar-
cham dei. sup̄ quā inuocatū ē no-
men dn̄i. Cūq̄ꝫ tulissent eā dauid
et oīs isrl̄ laudabant corā dn̄o in
oībꝫ lignis fabrefactꝫ ⁊ cytharis ⁊
lyris ⁊ tympanis ⁊ sistris ⁊ cym-
bal̄. Et diuertit eā in domū. Obe-
dedom gethei ⁊ hītauit archa dn̄i
in domo obededom gethei tribꝫ
mensibꝫ. Et benedixit dn̄s obede
dom ⁊ oēm domū ei⁹ ꝓpt̄ archam
3 dn̄i. Sic moral̄r ⁊c̄. Tertio fit dei
ac oīm sc̄oꝝ imploratio siue roga
tio. Ideo d̄r letania .i. rogatio Un̄
dicit Jacobꝫ in Can̄. c. v. Tristat̄
aliq̄s vr̄m oret. Infirmat̄ quis in
vob̄ inducat p̄sb̄ros eccl̄ie et oret̄
sup̄ eum. ⁊ orō fidei saluabit infir
mū. Un̄ eccl̄a in letania tāgit oīa
mala que pn̄t accidere hominibꝫ
vt p꒫ intuenti. Et iō iplorat gr̄aꝫ
dei ac intercessionē oīm electoꝝ dī.
Pat̄ de celis de⁹ miserere nobis.
Sācta trinitas vn⁹ de⁹ miserere
nobis. Sācta maria ora ꝓ nobis
Scā dei genitrix ora ꝓ nobis. Et
ꝯsiter rogat patriarchas ꝓphetas
angelos ap̄los ⁊c̄. Et in fine dicit
oēs sancti ⁊ sancte dei orate ꝓ no
bis. Qd̄ tūc faciūt. Et h̄ cognoscens
ps. in spū sancto dicit. Pro hac. s.
petitione orabit ad te supple deū
oīs sc̄tūs. Ipsi em̄ oēs intercedūt
ꝓ nobis. ⁊ sic ꝑ eoꝝ suffragia faci-
lius possum⁹ dei misericordiā et
grām impetrare. Cui⁹ exemplum
habem⁹. Req. oīm sanctoꝝ ⁊c̄.

¶ De sancto Philippo et Jacobo
Sermo. xxiij.

Nimis ho
norati sūt amici tui de⁹
nimis cōfortat⁹ ē p̄n.
coꝝ ps. cxxxviij. Notate charissi-
mi. dicit Tulli⁹ ꝙ honor est exhi-
bitio reuerētie in testimoniū v̄tu
tis. Hinc est em̄ ꝙ v̄tuosi sancti ⁊
ap̄li sc꒫ Philippus ⁊ Jacobꝫ ha-
buerūt illā virtutē ꝙ deū dilexerūt
sup̄ oīa. Ideo in testimoniuꝫ hui⁹
v̄tutꝫ de⁹ exhibuit eis reuerentiā
honoris. qd̄ ps. bn̄ ondit in v̄bis
p̄dictꝫ dī. Nimis honorati sūt ⁊c̄.
In quibꝫ quidem v̄bis tria notā-
tur in quibꝫ isti sancti triplicit̄ cō
mendant̄. Primū est specialis di- 1
gnitas. qd̄ notatur cum dicit̄. Q
de⁹ nimis honorati sunt ⁊c̄. Se- 2
cundū est ipsorum familiarꝫ ami
cabilitas cū addit̄ amici tui deus
Tertiuꝫ est salutaris felicitas. cū 3
concludit̄. nimis confortatus est
p̄ncipatus eorū. ¶ U ¶ Dico pri 1
mo ꝙ in verbis p̄missis notatur
specialis dignitas istoruꝫ aposto
rum cum dicit̄ deus nimis hono
rati sunt. Circa qd̄ notādū ꝙ do-
minus istos ap̄los multipliciter
honorificauit s̄m ꝙ repit̄ in sacra
sc̄ptura ꝙ ipse honorificauit suos

electos. Legit̃ eñ in ve. tes. ꝙ deꝰ
honorificauit duos ĩ ve. tes. mul/
tipl'r scȝ Moysen ⁊ aaron fratreȝ
eiꝰ. Sic xp̄s in nouo tes. honorifi
cauit Philippū ⁊ Jacobū q̄ ꝓpter
suas laudabiles ꝯditiones ab eo
honoriti sũt. Vñ figurat̃ ꝑ moysen
et aaron Naȝ ꝑ moysen intelligit̃
scūs Philippꝰ. qꝛ moyses interp̄
tat̃ assumptꝰ de aqua. ⁊ significat
sanctū philippū quē assūpsit dn̄s
de aq̄s. vt legit̃ Act. viij. ꝙ q̇dam
vir ethiops ⁊ eunuchꝰ candacȝ re
gine venerat adorare in hierl'm ⁊
reuertebat̃ sedēs sup̄ currū suū le
gensq; Jsaiā ꝓphetā scȝ Tanquā
ouis ad occisionē ductꝰ est. ⁊ sicut
agnꝰ coraȝ tondente se sine voce.
sic nō aperuit os suū. Dixit āt spi/
ritus philippo. Surge ⁊ vade ad
viam q̄ descēdit ad hierl'm in ga/
zām. Qui abijt. Tunc spūs dixit
ad Philippū qñ erat in via eunu
chi. Adiūge te ad currū istū. qđ fe
cit ⁊ audiuit eunuchū legentē pro
phetā. Et dixit. Putas ne intelli/
gis que leg̃. Cui eunuchꝰ. Obse/
cro te de q̄o dicit. Philippꝰ vo re/
spondit. de iesu. ⁊ dixit sibi multa
de fide. ⁊ sic ꝑuenerūt ad quandā
aquaȝ. Et ait eunuchꝰ. Ecce aqua
baptiza me. Cui philippꝰ. Credis
Qui ait. Credo dei filiū esse iesuȝ.
Et descenderūt vterq; in aquam
philippꝰ ⁊ eunuchus. ⁊ baptizauit
eū. Cū aūt ascēdisset đ aqua spūs
dn̄i rapuit philippū. quare bñ fi/
gurat̃ ꝑ moysen. qꝛ interp̄tat̃ ⁊c̃.
qꝛ etiā ipse fuit assumptꝰ de aqua
ꝑ filiā pharaonis. vt Exo. ij. X

Jstū sanctū honorauit dn̄s sicut
moysen. Honorauit āt dn̄s moy
sen tripl'r. Prio in h' ꝙ fecit eum
nunciū ⁊ seruū suū ad regē Pha/
raonē dicere ei. Dimitte populuȝ
meū vt sacrificet mihi in deserto.
vt habet̃ Exo. viij. qđ fuit moysi
magnꝰ honor. sic honorauit xp̄s
sanctū philippū in misterio suo. si
cut habet̃ Joh. xij. Añ sex dies pa/
sce venit iesus bethaniā vbi Laza
rus fuit mortuꝰ quē suscitauit iesꝰ
Fecert̃ aūt ei cenā magnā ⁊ ibi ma
ria ministrabat. Lazarus vo erat
vnꝰ ex discūbentibꝫ cū eo. Cogno
uit aūt turba multa ex iudeis. qꝛ
illic est. ⁊ venerūt nō ꝓpt̃ iesuȝ tm̄
sed vt lazarū viderent quē suscita
uit a mortuis. Erāt aūt gentiles
q̇dam ex his q̇ ascenderūt vt ado
rarent ĩ die festo. Hi g̊ accesserūt
ad philippū ⁊ rogabāt eū dicētes
Dñe volumꝰ iesum videre. Phi/
lippus vo dixit iesu ⁊c̃. Iteȝ legit̃
Jo. vj. ꝙ q̄dā vice venit mag̃ mul
titudo ad eū. s. iesum. cumq; sub/
leuasset oculos iesus ⁊ vidisset ꝙ
mltitudo maxia venit ad eū dicit
ad philippū. Vñ ememꝰ panes vt
manducēt hi ⁊c̃. Vñ bñ dicit xp̄s
Jsa. xlij. Ecce seruꝰ meꝰ suscipiaȝ
eū electꝰ meꝰ. Scđo in hoc ꝙ fecit
eū potentē in sanādo. Nam legit̃
Nu. xxj. ꝙ filij isrl' dixerūt ad moy
sen. Cur eduxisti nos đ egypto vt
moreremur ĩ solitudine. Deest pa
nis nō sunt aq̄. Aia nr̄a iam nau/
seat sup̄ cibo isto leuissimo. Quā
obreȝ misit dn̄s in ppl'm ignitos
serpētes ⁊c̃. tūc dixerūt moysi. pec

cauim⁹.q₂ locuti sum⁹ ꝯtra dñm
Ora vt tollat a nob serpētes. Ora
uit moyses ꝓ pplo. Et locut⁹ est
dñs ad eũ. Fac serpentē eneũ ꝛ po
ne ꝑ signo q̇ ꝑcussus aspexit cum
viuet. Fecit g̃ moyses ſpentē eneũ
ꝛ posuit ꝑ signo ꝛ aspiciētes sana
bant. Sic xp̄s fecit phi. potentez
sui sanādo. Nā legit̃ ꝙ ipse ꝯtra fla
tum draconis q̇ pplus inficiebat̃
p̄cepit statuā ꝯfringere ꝛ draconi
vt recederet vt ppl's sanaret̃. Vñ
dicit iesus philippo ꝛ ceterꝭ aplis
Joh. xiiij. Qui credit in me opa q̄
ego facio ꝛc̃. Tertio ī h̄ ꝙ ma/
nifestauit sibi gloriā suā. Legitur
eñi Exo. xxxiij. ꝙ moyses dixit ad
dñm. Ostēde mihi gl'iam tuā. Re
spōdit. Ego oñdā tibi oĩe bonũ.
Sic xp̄s honorauit philippũ cuz
sibi dixit qñ philippus petiuit vt
habet̃ Job. xiiij. Dñe ostēde nobis
patrē ꝛ sufficit nob. Dixit ei iesus
Philippe q̇ videt me videt ꝛ p̄rez
Nō ē magna gl'ia. nā q̇ videt deuz
videt oĩe bonũ. Quare bñ dicit
ps. v̄sum themat̃ꝭ. Nimis hono/
2 rati sũt ꝛc̃. Scd̃o p aaron intelli/
git scũs Jacob. Nā aaron interp
tat̃ mōs. ꝛ bñ ſcat sanctũ iacobũ
Nā sicut mōs ē magn⁹ rōe quāti
tatis. Sic iacob fuit magn⁹ rōne
nois sui. Vocat̃ eñi iacob alphei.
Jacob frater dñi. Jacob minor.
1 Jacob iust⁹. Prio vocat̃ Jacob
alphei nō tm̄ ꝙ fuit filius ei⁹ sed
etiā ſm interp̄tationē. Alphe⁹ eñi
interp̄tat̃ doctus siue documētũ.
sic iacob d₂ iacob alphei .i. docu
menti vl' docti. Nā fidē christianā
docuit ꝛ suā doctrinā a spũscō re
cepit sic̄ ceteri. Vñ Act. ij. Reple/
ti sunt oēs spũsctō. Scd̃o vocat̃ 2
Jacob frat̃ dñi rōne silitudinis.
Ipse eñi silim⁹ xp̄o adeo vt pleri/
q₃ in eoꝝ specie fallerent̃. Vñ cuz
iudei ad capiendũ xp̄m ꝑgerēt ac
cepert̃ signũ osculi a iuda q̇ xp̄m
a iacobo optime discernebat. Vñ
ne forte iacobũ in ꝑsona xp̄i cape
rent. iudas dedit eis signũ dicēs
Quēcũq₃ osculat⁹ ꝛc̃. Vñ in signũ
hui⁹ silitudinis desiderabat igna
tius videre eũ. Vñ scripsit ī epl'a
sua ad Johem euāgelistā. Si lici/
tum est mihi apud te ad hierosoli
me ꝑtes volo ascēdere vt videam
illũ venerabilē Jacobũ q̇ cogno/
minat̃ iust⁹. quē referunt xp̄o iesu
similimũ facie. vita. ꝛ mō ꝯuersa/
tionis. ac si eiusdē vteri frat̃ eēt ge
mellus. Quē dicũt. si video. video
ꝛ ipsum iesum xp̄m ſm oia corꝑis
ei⁹ lineamēta. Tertio vocat̃ Jaco 3
bus minor ad differentiā Jacobi
zebedei. Nā q₃uis eēt p̄or natus.
tñ est vocat⁹ ad apl'atũ posterior.
Vñ in q̇busdā regionib ille q̇ pri
or ingredit̃ maior d₂. et qui poste
rior minor. licet sit prior et maior
etate. Quarto vocat̃ iacob iust⁹ 4
ꝓpt̃ excellentiā sanctitatꝭ. Vñ de
ei⁹ sctītate dicit Hiero. ꝛ legit̃ in
eccl'iasticꝭ hystorijs ꝙ ī vtero ma/
tris fuit scũs. vinũ ꝛ sicerā nō bi/
bit carnes nũq₃ mādu caūit. fer/
rum in caput ei⁹ nō ascēdit. nũq₃
attonsus ē. oleo nō est vnct⁹. bal/
neis nō est vsus syndone .i. veste
linea sp fuit indut⁹. et veste lanea

nõ vtebat. totiēs in orõne genua flexerat vt callos in genub9 sicut in calcaneis hre videret. Pro hac icessabili iusticia appellat9 ē iust9 Hic sol9 int aplos ꝓt nimiā sci-tatē suā pmittebat intrare in sctā sanctoꝝ cā orõnis nõ tñ immolationis. Jõ merito cõpetit sibi illð Ecci. xlvj. ꝙ fuit magnus fm no-men ei9. qre bñ significat p aaron Uñ honorauit eū xpus sicut dñs aaron. Z Sꝫ est notandū ꝙ domin9 honorauit Aaron triplicit. Pmo in dignitate sacerdotali. nā ipse fuit pm9 pontifex in ve. testõ. Uñ legit Exo. xxviij. ꝙ dñs dixit ad moysen. Applica ad te aaron frēm tuū ð medio filioꝝ isrl vt sacerdotio mihi fungat. faciesqꝫ ve-stem sibi sanctā in gloriā z decorē in qb9 vestib9 sanctificat9 mistret mihi. Sic scūs Jacob9 i nouo te-stamēto fuit pm9 eps elect9 z ordinatus. qð fuit magn9 honor. Uñ legit ꝙ inter aplos pm9 fuit qui missaꝫ celebrauit in hierosolimis Nā ꝓt excellentiā sue scītat aplí hūc honorē sibi fecerūt ꝙ p9ascensionē dñi ipsum in epm hierosoli-mis elegerūt tanqꝫ a deo vocat9 z ab aplis elect9. Nā dicit aplus ad Heb. v. Nec qsqꝫ sumit sibi hono-rem sꝫ q vocat a deo tanqꝫ aaron Quare bñ dr de eo illð Ecci. xliiij. Ecce sacerdos magn9 zc. Secūdo in diuinali cura z sollicitudie. Nā ipse de9 met habuit curā ð eo. Uñ legit Exo. xxix. ꝙ dñs dixit moysi Arietē ɔsecratõis tolles z coques carnes in loco scõ quib9 vescetur aaron. Oia que pcepi tibi facies sup aaron. Sic xps habuit curaꝫ de scõ Jacobo cū met apparuit sibi dicēs vt comederet. Uñ legit ꝙ postqꝫ comedit cū xpo z alijs discipulis de agno paschali i cena dñi tūc ut dicit Hiero. z Joseph9 Ja-cob9 fecit votū se nõ cõmesturum donec videret dñm a mortuis resurgētē. Uñ i ipsa die resurrectionis apparuit ei dñs z eis q cū eo erant di. Ponite mēsam z paneꝫ. deinde panē accipiēs bñdixitqꝫ dedit iacobo iusto di. surge z comed frat mi. qr fili9 hoīs a mortuis resurrexit. Tertio i pfectõe filiali. nā pfectio filioꝝ dei ē orare p psequētib9. teste xpo Mat. vj. Orate p psequētib9 z calūniantib9 vos vt sitis filij pris vri. Ad illā pfectionē vocauit de9 in ve. tes. aaron. quia ipse orauit. Uñ legit Nūe. xvj. ꝙ oīs multitudo filioꝝ isrl murmurabat ɔ moysen z aaron. ita vt oriret seditio z tumult9 incresceret. Dixitqꝫ dñs ad moysen z aaron. Recedite de medio hui9 multitudinis etiā nūc delebo eos. Cunqꝫ iacerēt in tra currit aaron ad me-diam multitudinē quā iaꝫ vasta-bat incendiū z stans int mortuos z viuētes p pplo depcat9 est. z plaga cessauit. Fuerūt aūt q pcussi st xiiij. milia hoīm z septingēti. Sic in nouo tes. honorat9 est a christo iacob9 in filiali pfectiõe ita ꝙ orauit p psecutorib9. Uñ legit ꝙ cuꝫ lapidaret pcūbens sup genua di-xit. Rogo te dñe dimitte eis. qr nesciūt quid faciūt. Et sic ptꝫ qualit sunt honorati. Jdeo dicit thema O deus nimis honorati zc. B

Secūdo notat̄ in verbis p̄missis
ipsoꝝ familiarꝫ amicabilitas. cuꝫ
addit̄. amici tui. Circa qđ notan/
dum ꝙ dilectio istoꝝ aplo͛ꝝ phi/
lippi ꝛ iacobi fuit magna. qꝛ ꝓpt̄
xp̄m mortui sunt qđ est signū ꝟe
dilectionis. Un̄ dicit xp̄s Jo. xv.
Maiorē hac dilectionē ꝛc̄. Certe
h fecerūt isti apl͛i. Qualr̄ aūt passi
sunt ꝓ xp̄o ondit̄ in legēda eorum
Legit̄ em̄ ꝙ scūs philipp⁹. xx. an/
nis ꝑ sythiaꝫ p̄dicasset a paganis
tenet̄ ꝛ ad imolandū ydolis cōpel
lit̄. Tūc subito q̇dā draco magn⁹
đ statua. vl͛ de subbase statue mar
tis vbi philipp⁹ debebat imolare
exijt. ꝛ filiū pontificꝫ q̇ ignē mistra
uit in sacrificio interfecit. ꝛ duos
tribunos q̊ꝝ mistri habebāt phi/
lippū in vincul͛. extinxit. ceterosqꝫ
fetore flat⁹ sui adeo infecit. vt oēs
morbidi redderēt̄. Dixit philipp⁹
Credite mihi ꝛ statuā illā ꝯfringi
te. ꝛ in loco eius crucē dn̄i adora/
te vt infirmi vr̄i curent̄ et mortui
suscitent̄. At illi q̇ cruciabant̄ cla/
mabant. Fac vt sanemur ꝛ ydolū
ꝯfringem⁹. Tūc philipp⁹ draco/
ni p̄cepit vt in locū desertū disce/
deret. ita vt nulli omnino noceret
Qui statim recessit ꝛ vltra nō cō/
paruit. Tūc philippus oēs sana/
uit ꝛ illis tribꝫ mortuis vitā resti/
tuit ꝛ sic vniuers̄ credētibꝫ ꝑ vnū
ānū eis p̄dicauit. Et ordinauit eis
p̄sbyteros ꝛ diaconos q̇bꝫ ordina
tis ꝛ multꝫ ecclesijs ꝯstructꝫ ipse ꝑ
reuelationē in asyam venit ciuita
tem Jerapolim. Ibiqꝫ heresim he

bionitaꝝ dicentiū xp̄m carnē fan
tasticā assumpsisse. extinxit. Erāt
aūt ibi due sacratissime ꝟgines ꝑ
q̄s dn̄s multos ꝯuertit ad fidem
Philipp⁹ āt an̄ septē dies sui obi
tus oēs ep̄os p̄sb͛ros ꝛ diaconos
ꝯuocauit eisdē dixit. Nos septem
dies de⁹ mihi ꝯcessit ꝓpt̄ admoni
tionē vr̄aꝫ. g̊ memores estote dn̄i
nr̄i iesu xp̄i. ꝛ state viril͛r. Dn̄s aūt
cōpleat ꝓmissuꝫ suū ꝛ corroboret
eccl͛iam suā. Hec ꝛ filia eo p̄dican
te cū erat annoꝝ. lxxxvij. īfideles
ip̄m tenuer̄t ꝛ cruci ad instar ma
gistri sui quē p̄dicabat affixerūt.
Et sic ad dn̄m migrauit. Un̄ pōt
dicere ad Gal͛. ij. Xp̄o ꝯfixus sum
cruci ꝛc̄. Isidorus dicit ꝙ etiā la/
pidatus fuit. ꝛ iuxta eū due p̄di/
cte virgines vna a dextris et alia
a sinistris ꝛc̄. ¶ B ¶ De sancto ia
cobo vero legit̄ ꝙ septio anno epi
scopat⁹ sui cum apostoli ad diem
pasce hierosolimis cōuēissent. int̄
rogante eos Jacobo quāto ꝑ eos
dominus fecisset ipse coram eis
referebant. Cum aūt septem die/
bus Jacobus in templo p̄dicas/
set coram caypha et aliquibus iu
deis et iam ꝓpe esset vt baptizari
vellent repente quidam templuꝫ
ingrediens clamare cepit. O viri
israelite quid facitis. cur ab istis
magꝫ vos decipi ꝑmittitꝫ. ꝛ in tm̄
ppl͛m cōcitauit vt apl͛os lapida/
re vellent. Et ascendit hō ille suꝑ
gradum vbi scūs Jacobꝫ stetit et
p̄dicauit et p̄cipitauit eum deor/
sum ꝛ ex tūc plurimū claudicauit

Jacobo

in ãno.xxx.epat⁹ sui iudei vidẽtes ꝙ paulũ nõ possent occidere eoꝙ cesarẽ appellasset ꝛ romã missus fuisset.tyrannidẽ sue ꝑsecutionis in iacobũ ꝯuerterũt ꝛ nõ cõuene/rũt ad eũ dicẽtes. Oram⁹ te vt re/uoces pplm qꝛ ipsi erãt ĩ iesu pu/tantes ꝙ ipse sit xp̃s.dep̃camur ğ te vt ꝑsuadeas oĩbꝫ ꝯueniẽtibꝫ in die pasce de iesu.qꝛ iust⁹ es ꝛ ꝑso/nam nõ accipis. Statuerũt ğ illũ suꝑ pĩnaculũ templi ꝛ voce mağ clamauerit dicẽ. Uiroꝝ iustissime cui oẽs nos obtꝑare dẽm⁹ qm̃ er rauim⁹ post iesum q̇ crucifixus ẽ. enũcia nobis q̇d tibi videt. Tũc iacobꝫ cuꝫ mağ voce r̃ndit. Quid me interrogatis de filio hoĩs ipse se/det a dexteris patris in celis.ꝛ ẽ ven turus iudicare viuos ꝛ mortuos Hoc audiẽtes christiani gauisi sũt ꝛ libent eũ audierũt. Pharisei ãt et scribe dixerũt. Male fecim⁹ ta le testimoniũ iesu p̃stare.sꝫ ascen/dam⁹ ꝛ p̃cipitem⁹ eũ deorsum vt ceteri terreant ꝛ ei credere nõ p̃su mant ꝛ sil' voce magna clamaue/rũt dicẽtes. O o ꝛ iustus errauit. Ascenderũt ğ et p̃cipitauerũt euꝫ Cum ğ p̃cipitassent euꝫ lapidibꝫ ipsum obruebãt dicẽtes. Lapide mus iacobũ iustũ. Qui cũ lapida ret nõ solũ mori nõ potuit sed ꝓ/cumbẽs suꝑ genua dixit. Rogo te dñe dimitte eis qꝛ nesciunt q̇d faciũt. Tũc vn⁹ ex sacerdotibꝫ cla mauit. Parcite queso q̇d facitis. Hic iust⁹ ꝓ nob orat quẽ lapida/tis. Tũc vnus ex eis particã ful/lonis accipiẽs.i. (eyn stecken dẽ do bruchen ferber oder bleycher) valido ictu caput ei⁹ impetijt ꝛ ce rebrũ excussit.taliqꝫ martyrio mi grauit ad dñm. Et sic ptꝫ qualit exposuerũt vitã ꝓ xp̃o ex vera cha ritate. Uñ veraciꝰ dicere pñt illõ Romanoꝝ dicẽtes. Quis sepabit nos a charitate xp̃i tribulatio an ꝑsecutio an fames an nuditas an periculũ an gladi⁹.sicut scp̃tũ est qꝛ ꝓpt te mortificamur tota die. sed in his oĩbꝫ suꝑam⁹ ꝓpter eũ q̇ dilexit nos. Cert⁹ sum em̃ qꝛ neqꝫ mors neqꝫ vita ꝛc̃. Quare ꝯueni/unt eis ista duo noĩa scꝫ Philip/pus ꝛ Jacobꝫ. Nã philippus dr̃ a philos q̇d est amor. ꝛ ipos q̇d est suꝑ.quasi amor suꝑnoꝝ.qꝛ tm̃ di lexit xp̃z ꝛ celestia.iõ exposuit vitã suã ꝓ xp̃o. Uñ canit ecc̃lia de istis duobꝫ in sequentia iacobꝫ minor fuste cesus .i. (mit eym stecken) Sed philipp⁹ saxis iesus demuꝫ crucifigit. Et sic ptꝫ eoꝝ familia/ris amicabilitas.quare amici tui deus ꝛc̃. Dico tertio ꝙ in ỽbis p̃/missis notat ipsoꝝ salutaris felici tas cũ ꝯcludit. Nimis ꝯfortat⁹ est p̃ncipat⁹ eoꝝ.i.glĩa eorũ in celo. Quanta ğ gloria ꝛ honore ꝛ p̃nci patu eos in et̃na felicitate ꝯforta uerit ꝛ ditauerit oñdit Mat.xix. ꝙ cum petrus cathedra petri ꝫ.

De inuentione sancte crucis Sermo.xxiiij.

Qui me in uenerit ĩueniet ꝛ hau riet salutẽ a domino. Prouerb.viij. Notate charissimi

Vba ista ꝯuenient dicit sapiēs in spūsancto in ꝑsona scē cruc. Naȝ vt dicit Cassiodor⁹ ꝙ crux est victoria xpi. depredatio diaboli. destructio inferni. reꝑatio celest patrie ac vita iustoꝝ. Quare bñ dic Qui me inue. ꝛc̄. In qbꝫ q̄dē vbis duo notant. Primū ē inuētio salutar qđ notat cuȝ dr. Qui me inue. inueniet vitā. Scđm est oꝑatio diuinalis. cū ꝯcludit. ꝛ hauriet salutē a dño. ¶ Dico ṗmo ꝙ notat in vbis inuētio salutaris scē cruc. Per tria aūt signa ostensionis crux scā est inuēta. Primū signū ostēsionis scē crucis factū est ab angelo q̄ ostēdit ꝛ dedit seth filio ade. Legit em̄ in euāgelio Nicodemi ꝙ cum adam infirmaret. seth fili⁹ ei⁹ portas paradisi adijt oleū misericordie q̄ corpus patr ꝑungeret vt sanitateȝ reciꝑet postulauit. Cui apparēs angel⁹ michael ramusculū ð ligno in q̄ peccauit adam tradidit ei dicens. ꝙ qñ faceret fructū pr̄ ei⁹ sanaretur Noli ḡ laborare nec flere ꝓ oleo ligni misericordie obtinēdo. qꝛ nullaten⁹ illud assequi poter nisi qñ cōpleti fuerint q̄nqꝫ milia ānorū ꝛ in sexto millenario tunc veniet suꝑ terraȝ dei fili⁹ xp̄us q̄ sanabit patrē tuū Qui rediēs ꝛ patrē mortuū inueniēs. ipsuȝ ramū suꝑ tumulum pr̄is plantauit. q̄ in magnā arborē creuit. ꝛ vsqꝫ ad tp̄us salomonis ꝑdurauit. Salomon aūt arborē taȝ pulchrā ꝯsiderans ipsam p̄cepit p̄cidi. Et cū edificaret domū fecit in domo ei⁹ locari et tm̄ nunq̄ȝ potuit locari. qꝛ aut excedebat longitudine aut deficit breuitate. Ob h̄ indignati artifices ipsuȝ reprobauerūt ꝛ suꝑ quēdam lacum ꝓiecerūt vt eēt pons trāseuntib᷒. Cū ḡ regina saba venisset audire sapiāȝ Salomonis ꝛ p̄dictū lignū vidisset qđ erat suꝑ lacuȝ. vidit in spū ꝙ saluator mūdi in ligno suspēdendus erat. ꝛ iđ suꝑ eū trāsire nolebat. sȝ ip̄m ꝓtinus adorabat ꝛ salomoni intimabat ꝙ ī illo ligno saluator mūdi eēt suspēdend⁹ Salomon inde lignū sustulit ꝛ in viscerib᷒ t̄re dimergi fecit. Postea ꝓbatica ibi facta est. vbi nathinnei hostias abluerunt. ꝛ nō tm̄ ꝓpt descensum angeli sed etiā ex v̄tute ligni infirmi curabant ibidē. Appropinquāte aūt die passiōis xp̄i p̄dictū lignuȝ suꝑnatasse dr. Qđ cū iudei vidissent acceperūt ꝛ inde crucem dño parauerūt. ¶ Sȝ nota ꝙ mgr̄ hystoriaꝝ dicit ꝙ scā crux ē facta ex q̄ttuor lignis. Pes em̄ crucis erat de cedro. Cedrus ē arbor alta ꝛ natura ei⁹ ē ꝙ nō putrescit in terra nec in aqua. ꝛ iđ fecerūt pedem cruc de cedro estimātes euȝ nunq̄ȝ deponēdū. sed semꝑ affixū Stipes siue longitudo de cyp̄sso. ꝙ nō sentirēt transeūtes putredinem crucifixi. Trāsuersale siue latitudo fuit de palma. Nā palma ē signū victorie sicut legit in veteri testamēto ꝙ si q̄s cepit victoriam de hostib᷒ deberet laureari. i. coronari cū palma Sic iudei putabāt xp̄m se suꝑasse. iđ ponebāt palmā

De inuentione sancte crucis

sup crucē pro latitudine. Coop-
toriū siue tabulā in q̄ scptū fuit
Jesus nazaren⁹ rex iudeoꝝ. fuit
de oliua. Oliua est signū pacꝫ Nā
vt dr̄. Gen̄. viij. ꝙ colūba q̄ reuer
sa est ad Noe in archaz portauit
ramū oliue in signū cessassent aq̄
ꝛ ꝙ pax essꝫ facta inter deū et ho-
mines. Sic iudei putabāt se hr̄e
pacē. Nā multū timebāt iesum si
cut dicit̃. Job. xj. ꝙ cū ipi audiue
runt ꝙ xp̄s Lazaꝝ resuscitaue-
rat ꝛ alia miracl'a fecerat ꝓpterea
ml'ti crediderūt in eū. idō timebāt
ex hoc eis ꝑiculū iminere. quare
cōciliū collegerūt dicētes. Quid
facim⁹. qꝛ h̄ homo ml'ta sig̃ facit
si dimittim⁹ eū sic oēs credent ī
eū ꝛ veniūt romani ꝛ tol. ꝛc̄ Et sic
putabāt hr̄e pacē qn̄ Christ⁹ essꝫ
crucifixus. Et idō in signū hui⁹ fe-
cerunt coopꝛtorium de oliua. ꝛc̄.
2 Secundū signum ostensiōis
sancte crucis factū cum ab He-
lena. mr̄e Cōstantini ip̄atoris q̄
lignum sancte crucis vt hodier-
na die celebratur inuenit. Unde
nota ꝙ illo tp̄e fuit ꝯgregata in-
numerabil' ml'titudo gentilium
iuxta danubium volētes fluuiū
trāsire ꝛ om̄es regiones vsq̄ ad
orientē suo dn̄o subiugare. Qd̄ vt
Cōstantin⁹ imp̄ator compit con
gregauit magnū exercitū et pro-
cessit ꝯ eos. Qui cū vidit ꝙ multi
tudo gentiliū creuit nimio terro
re ꝯcutit̃. vidēs ꝙ esset cū eis cra
stina die bellum cōmissurus. Se
